



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

208. An in omnibus casibus, in quibus concursum haberi non est opus, adhuc approbatio fieri debeat prævio examine eorundem Examinatorum synodalium cum eadem forma collegiativæ discussionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

15. Decimus quintus, opus non est concursu, sed nec examine, dum quis acquirit parochialem per regressum, qualis ex stylo Curiae solet resignanti reservari, & concedi in eventum non solutionis pensionis, nimirum ut possit in eandem parochialem resignatam liberum habere regressum, accessum & ingressum, perinde ac si nunquam resignasset. Garc. n. 168. citans de super S. Congregationis declarationem, in qua tamen dicitur hoc intelligendum, si regrediens parochiam jam ante possederit, secus si eam nunquam possederit. Ratio est, quia regrediens jam habuit talem parochialem per concursum, aut alias approbatus fuit. Corrad. qui etiam addit, idem esse in regressu alterius generis, dum nimirum quis per obitum resignatarii acquirit parochialem, nempe dum ille regressus reservatus fuit resignanti, resignatario cedente vel decedente, quamvis dicat tales regressus per obitum sublatos per Trid. sess. 25. c. 2. & tantum Cardinalibus aliisque personis qualificatis, summoque Pontifici gratis concedantur.

16. Decimus sextus: in parochialibus curatis tantum habitu, ex quo enim parochiani recesserunt, remansit talis Ecclesia simplex beneficium. Zerol. in praxi Episc. V. beneficium. p. 1. §. ad quartum. Corrad. loc. cit. si tamen talis parochialis tractu temporis reducatur ad actum, in ejus provisione opus erit concursu: intellige non quo ad eandem jam possidentem, sed deinceps quoad alios ejus successores.

17. Decimus septimus, dum approbatus per concursum & electus non vult consentire reservationi pensionis annuae modicae, quam tunc summus Pontifex reservat ad favorem alterius super fructibus vacantis parochialis, Pontifex alteri conferre consuevit eandem parochialem, sive cum dicta pensione, sive sine illa, etiam nullo habitu concursu, sed solum praevio simplice examine ad curam animarum, non obstante Tridentino cit. c. 18. dum ait: illi nimirum praefecto in concursu & non alteri fiat collatio; id enim summus Pontifex facere potest etiam absque derogatione dicti decreti, cum in beneficialibus habeat plenissimam dispositionem. Corrad. loc. cit. citans Marefchor. Variar. resol. l. 1. c. 52. n. 14. & Gonz. loc. cit. n. 116. qui se illud saepissime vidisse fieri Romae testatur.

18. Decimus octavus, Cardinales Episcopi existentes in Curia possunt conferre parochiales suae dioecesis sine concursu: modò ii, quibus conferuntur, examinentur ab Examinatoribus deputatis à Papa vel ejus Vicario. Tridentinum namque dicto c. 18. non derogavit isti indulto Cardinalium, cum loquatur tantum ibi de indultis extradinaris. Corrad. l. 3. c. 8. n. 11. citans Germon de indultis Cardinalium, praeter hac

Quaestio 207. An non saltem examen per concursum remitti possit, & conferri absque eo parochialis sequentibus personis. Primo ei, qui testimonium habuit etiam scriptum ab Episcopo, quod sit idoneus moribus, scientia, aetate pro administranda parochia; vel etiam de ejus idoneitate quoad omnia constaret omnibus. Secundo: qui desiderat denuo parochialem vacantem, quam resignaverat, dum pro ea antecedenter per concursum praefectus fuerat, eamque laudabiliter administrarat. Tertio: ipsi Vicario gene-

P. Leuren, Fori Benef. Tom. 1.

rali in spiritualibus. Quarto: Archidiacono, Archipresbytero, penitentiario aliisque personis in dignitate constitutis. Quinto Doctore Theologiae vel juris Canonici promoti in publica universitate, quique per plures annos legit cum maximo plausu?

Respondeo negativè. Corrad. l. 3. c. 4. n. 1. & seq. & apud eum Paris. de resign. l. 8. q. 9. n. 78. & 89. & seq. Garc. p. 9. c. 2. n. 102. & seq. citans Fuscum de visit. l. 2. c. 5. n. 10. Paris. l. 8. q. 9. n. 83. quoad personam notorie idoneum, & Less. de jure & just. l. 2. c. 34. n. 82. Paris. loc. cit. num. 91. Zech. Zerol. quoad Vicarium Episcopi & graduatum in publica universitate. Ratio omnibus communis est, quia nimirum examen per concursum inter reliqua est de forma (quae tunc censetur induci, quando constitutio non tantum disponit de actu aliquo faciendo, sed ulterius procedit, annullando actum aliter factum. Bald. in l. 1. de lib. & posthum. & alii apud Corrad.) quam Trid. cit. cap. 18. & Pius V. in sua constitutione praescripsit servandam in Ecclesiarum parochialium provisionibus, & ob eujus non observantiam voluit provisionem quamcunque nullius esse valoris, jam verò Notoreitas personae qualificatae non supplet defectum praedictae formae, nimirum ut remittatur hujusmodi personis examen. Lott. l. 2. q. 31. nu. 134. sed neque ex eo, quod quis semel examinatus per concursum obtinuit parochiam, illamque rectè administravit, deducitur, quod respectu alterius, ad quam aspirat, parochiae sit dignior. Addit Gonz. gl. 4. n. 114. apud Garc. p. 9. c. 2. n. 251. quod possit quis in uno examine apparere magis doctus ex fortuna quaestiois sibi propositae, cum revera sit minus doctus, altera, ut per Tirac. de penit. temperandis causa 51. n. 159. adeoque non sufficiat habere noticiam pristinam de vita, moribus, scientia istiusmodi candidati. habetur etiam signanter de Vicario Episcopi & graduatis in publica Universitate S. Congregationis declaratio apud Corrad. & Garc. l. cit. unde etiam Garc. n. 101. ait, falsam esse sententiam Zerolae in praxi Episc. p. 2. V. parochia, docentis, approbatum alias ad parochiam non debere examinari quoad literaturam & mores, si concurrat solus, secus, si cum aliis concurrat.

Quaestio 208. An in casibus omnibus, in quibus concursum servare non oportet, nimirum ubi eo intrante deest occasio illum practicandi, nemine v. g. vel uno solo comparante, vel quod à patrono vel curato habituali praesentetur unus, adhuc approbatio fieri debeat praevio examine eorundem Examinatorum synodali, cum eadem forma collegiatae discussionis, an ille, qui se examini exposuit, vel electus aut praesentatus idoneus sit, nec ne, ita ut non ab unius iudicio hac approbatio pendeat?

Respondeo affirmativè. Card. de Luc. ad Trident. dif. 32. num. 35.

Quaestio 209. Num à tali examine, vel etiam simpliciter ab examine & visitatione Episcopi liberent exemptionis Privilegia, quibus gaudent Ecclesia vel Monasteria habentia

G bencia